



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Bevrn.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13578

Et dimidio singulari cum testificatione laudis omnium perfunctum, legitime et canonice eligunt, in die S. Corbiniani, anno M. D. XXVII. Promulgato jam ex suggesto nouo Pralato ad plebem caterisque rebus: Seuringerus Ducalium reddituum magister, omnes Canonicos coram se et Pralato sisti iubet, quibus exponit, se, que acturus sit Principis iussu et autoritate facturum, cui utrum obtemperare velint, uniuersos interrogat, acceptaque à singulis de Veritate non dissimulanda seorsum quemlibet, quid rerum et pecunie priuatim habeat perquirat: illis cunctantibus sateri, cellas et arcas singulorum scrutatur, reperit enses, macheras et id genus armorum que religiosos non decent, pecunia à singulis extorta quadraginta aureorum summam conficit. Tertia ab electione die Seuringerus pauca presatis tandem Principis mandatum recitat quo singuli mutare locum, et eò se recipere, quo missi fuerint iubentur. Itaque assignatis unicuique comitibus, data etiam in viaticum pecuniola, additis vestibus et libro oratorio, messi, ac nonnulli obortis lachrymis monasterium egrediuntur Pollingam, Diessam, Cellam, Raittenpucham, et Bernriedum singuli amandantur, ad restituendum verò numerum expulsorum, alij probata vita aliunde acquiruntur. Episcopus Frisingensis Philippus electionem Leonhardi ratam habet XI Decembr. Anno M. D. XXVII. Confirmatus Leonhardus rectissimo iudicio perpendit quam incomparabiliter spiritualia corporalibus prestent: itaque omnem animi cogitationem eò conuertit, ut Canonicam disciplinam hæcenus collapsam de integro condat: crebris concionibus hortatur et instigat ad vitam Canonicam, rerum communis restituit, horumque precibus sacrorum operationibus, contemplationi, studijs, cura corporis colloquijs, silentio atque alijs Sanctæ conuersationis proprijs officijs distribuit, juxta decretum Canonice discipline, et morem, quo ipse à puero apud Diessenses edoctus fuerat. Præterea animum et curam applicat adificijs sarcienais, et ex nouo reficiendis ecclesijs. Anno MDXXVIII et sequenti magna frugum penuria fuit, adeo ut ex vniuersa messe vix semen colligeretur. Prælatus redditus monasterij et census annuales adauxit. Præsuit muneri suo Leonardus bene et utiliter an. 36.

MARTINVS Khurz, el. an. 1563. decessit an. 1582.

GEORGIVS Schreiber obiit an. 1600.

VITVS Nunzinger, tertio circiter anno à Prælatu amotus fuit.

IOHANNES Sandthamer successit an. 1603. moritur an. 1615.

BALTHASAR Schropp, administrationem gessit usq. ad mensem Iunij, ann. 1619. amotus sequenti mense Nouembri ab officio et dignitate præsulatus.

EBERHARDVS modernus Præpositus.

B E V R N.

MONASTERIUM sancti Benedicti ordinis, prope Alpes, aliud Monasterium eiusdem nominis, ac ut puto ordinis in ditione Salisburgensi, non procul à Salza fluuio, quod aliàs vocant Michel Beurn.

LANDFRIDVS, Waldramus, Elilandus, fratres, Comites ab Ancorf & Loyfadi dicti filij Theoderici Ducis, tertij huius nominis, ex familia primorum Ducum & Regum Bauariæ, tamen in libello quodam de fundatione huius Monasterij ad Abbatem Wilhelmum Dieperskircher, circa Annam 1466. Germanicè scripto, ex speculo historiali Vincentij, et ex Garibaldo quodam ponatur, hos Comites fuisse filios cuiusdam Waltherij, Com. de Bliantz, ex prouincia Gallie, famosissimi militis, qui cum Carolo Martello in Boiariam venerit, istis dominis et terris, virtutis ergo, donatus sit, cuius rei Auent. nullibi meminit, et planè verisimilius est, hos Comites ex antiqua Bauarica familia natos, quam aduenas fuisse, Hi Comites, Anno Domini 740. indictione 8. sub Zacharia Papa, Rege Carolo,

patre Pipini & Carolomanni, tempore quo sanctus Bonifacius, Moguntinensis Archiepiscopus, in Francia Orientali, Frisia, Austria, siue Austrasia & Bauaria fidei Christi seminavit, & plura Monasteria ubiq; construerentur, octo Monasteria prope Alpes & Lycum ædificârunt & fundârunt, quinque pro maribus, nempe Beurn, Schlechdorf, Siuerstat, Sandau, Wessênprunn, tria pro Virginibus, Poling, Staffelsee, Cocklsee; quibus præfecta est Gelouinda, soror fundatorum. Hæc omnia Monasteria S. Bonifacius Archiepiscopus Moguntinensis dicitur consecrâsse, & initiâsse regula S. Benedicti, quæ Monasteria per Vngaros deuastrantur, Anno 973. Cochelsee & Staffelsee ad lacus eiusdem cognominis; Siuerstat verò & Sandau, haud longè à Lyco sita, ab Vgris excisa delataq; penitus interierunt; Cætera verò restituta sunt, sicut in hoc libro Monasteriorum de illis annotabitur. Hoc nostrum Burense Monasterium reficitur per Richolphum, Præfulem, sub Ottone secundo Imperatore, & S. Vlrico, Episcopo Augustano,

REIECTIS Augustinianis Monachis, opera Adalberonis, Comitis de Sempta, Aduocati huius Monasterij, restituitur Benedictinis, per Henricum tertium Imperatorem, qui eò Helengerionem, Abbatem Tigrinum, cum 12. Monachis transtulit, Auentinus fol. 531.

HEINRICVS quartus Abbatiam Burensem, dictam in pago Sondergeu, in Comitatu Sigmari Comitis sitam, Elenhardo, Episcopo Frisingensi, & illius Ecclesiæ, omni iure & vtilitate, quam Imperator ibi habuit, in proprium dedit ac tradidit: ita vt liberam potestatem habeat tenendi, construendi, & quicquid ad communem illius Ecclesiæ vtilitatem voluerit faciendi, Anno 1065. Extat diploma in libro tradito Frisingensis Ecclesiæ.

ANNO 1248. domestico ignitorum Monasterium exurit, sub Ottone, Duce Meraniæ, Aduocato; & Ottone Duce Bauariæ, inter quos antea grauissimum bellum fuit, in quo Monasterium plurima mala & deuastrationes passum est, Vide Auent. lib. 7. fol. 681.

IN LIBRO foundationis reperio Aduocatos & Abbates huius Monasterij sequentes.

SIGMARVS iuuenis Comes, tertius Aduocatus, cuius pater Adalbertus, filius Adalbero, vxor Sigmari Gertrudis sub Henrico quarto.

SIGMARVS Aduocatus dedit Monasterio, pro se & animâ fratris sui Adalberonis interfecti, prædia in Phrumore ex lib. tradidit ibi. De qua familia hi fuerint, an de Sempta, an verò de Hufin, hoc est, Andecensi, vt Auent. in Epithomate ponit, sed in Chronica nihil, &c. non satis constat; puto autem fuisse Comit. de Sempt. Vide ibi.

BERNHARDVS Aduocatus sub Raymundo Abbate.

POPPO, Comes de Andechs, eius frater Berchtoldus & Otto.

BERCHTOLDVS, Comes de Andechs, Aduocatus sub Walthero, Abbate septimo, Anno 1140. & 43.

OTTO Comes de Andechs, frater Berchtoldi, quem aliàs Marchionem vocat, sub Adalberto Abbate, Anno 1187.

ADALBERTVS Aduocatus, Anno 1149. sub Conrado Rege,

OTTO Dux Meraniæ, sub Gebhardo Abbate.

HEINRICVS Abbas, Anno 1252. quartus ante ipsum eiusdem nominis Abbas.

ORTHOLPHVS Abbas. Huic Rudolphus Imperator regalia contulit, ac de administratione temporalium legitime inuestiuit, vocans ipsum Principem dilectum, Anno 1275.

HEINRICVS Abbas, Anno 1286. huic quoq; Rudolphus contulit regalia feuda

feuda principatus, quem obtinet, & hoc ad instantiam filiz suæ, Ducissæ Bauariæ, Otto Abbas, Anno 1292. Idem 1308.

EGGEBERTVS Episcopus Bambergensis, Otto Dux Meraniæ, & Palatinus Comes Burgundiæ, & Albertus Comes de Tyrol, Anno 1228. intercesserunt apud Abbatem Burensem Gebhardum, post obitum Ottonis, Ducis Meraniæ, defensoris olim in temporalibus quatenus Aduocariam illam filio Ottonis conferret, quoniam ipse pro libitu eligendi Aduocatum potestatem & libertatem haberet, sub certis conditionibus & articulis iureiurando, & instrumentis confirmandis: Primò, ne illis detur Iudex, nisi ad petitionem Abbatis & Conuentus; secundò ne steuræ ab hominibus eorum extorqueantur; tertio, ne aliquis infra Parochiam iudicium exequatur; quartò ne res vel homines eorum sub iure aduocatiæ vlli in feudum concedantur; quintò ne ab hominibus ipsorum, vel ab ipsis telonium accipiat, in Wolfratzhausen, vel in Montanis.

Ex lib. fundationum
ibid.

BENEFACTORES huius Monasterij & alij, quorum in libro fundationum ibi fit mentio.

VDALRICVS de Elfindorf, vir Nobilis, se cum coniuge & vnica prole, ac omnibus bonis suis & possessionibus, scilicet Elfindorf, Surgeloch; Mages, Rufian, Deo ac S. Benedicto obtulit, tempore Henrici quarti Imperatoris, &c. puto Tyrolensem fuisse.

ARNOLDVS de Aspach, vel de Lucilsteren, Nobilis homo, donauit Monasterio prædium Aichaim, quod à parentibus in Sueuia, iuxta Hylaram fluium per successionem habuit, quodq; Guelpho Dux, eiecta sua matre, per vim occuparat, &c. facta est hæc traditio, Anno 1143. sub Walthero Abbate primo, & Berchtoldo Aduocato.

QUÆDAM Illustris Matrona, Gisela nomine de Afsnunting, locum sibi apud S. Benedictum elegit, Marquardus maritus tertius, Agnès filia, Robertus & Gosvvinus, filij, Diethericus, frater Domini Marquardi de Dorf.

HENRICVS, Comes Andecensis, Marchio Ykriæ, fundator Missæ ibidè, circa Annum 1228.

OTTO Dux Meraniæ, Comes Palatinus Burgundiæ, eodem tempore.

BERCHTOLDVS & Henricus, Comites de Eschenloch, fundatores luminis perpetui, ad sepulturam progenitorum suorum, circa Annum 1228.

BERCHTOLDVS, Comes de Eschenloch, filius Berchtoldi, instituit anniuersarium ibidem, pro remedio animæ suæ & progenitorum, An. Dñi, 1293.

HEINRICVS de Rotenburg, Magister curiæ Ottonis, Ducis Carinthiæ, Comit. Tyrolis, Vro de Matrey Iudex, Grifò de Matrey, milises, Henricus de Vfenstain, fideles eiusdem Ottonis, Anno 1298.

BERNHARDVS liber de Weilhaim, Anno 1228. D. Henricus de Weilhaim filius, circa Annum 1253.

D. GEBHARDVS de Weilhaim, circa Annum 1295.

EGILOLPHVS & Gothardus de Andechs Nobiles, circa Annum 1228.

GOTSCALCVS & Ludouicus de Widersperch.

EBERHARDVS & Lazarus de Porta.

HEINRICVS de Lechisperg, vxor Diemuert, filij eorum Philippus, Rupertus & Hermannus, tempore Henrici Anno 1252. contulerunt aliquid Monasterio.

HENRICVS & Otto de Sechsenhausen, Anno 1291. Otto dedit Huobam in Engelberting, Anno 1292.

B. DIETHERICVS de Pfluegdorf.

S. CONRADVS, & D. Engelscalcus de Wildenr. ot, anno 1303.

D. HEIN.

D. HEINRICVS de Tainingen, Anno 1295.
 VERTINGVS & Henricus de Schmiechen.
 BERCHTOLDVS de Aue, sub Henrico Abbate, Anno 1255.
 D. IOANNES Miles de Aue, Anno 1219.
 D. CONRADVS der Reitter von Aw/ Anno 1295.
 BERCHTOLDVS de Fuozstain.

IN ANTIQVO libro foundationis seu traditionis reperio circa Annum 1250.
 sequentes illius Monasterij vasallos fuisse,

D. HEINRICVS de Seeueld.
 D. VLRICVS de Rörmos, Vicedominus Ducis Ludouiei, & filius suus
 Vlricus.
 D. WATTO de Geckenpeunt.
 D. BERCHTOLDVS de Egoluingen.
 D. HERMANNVS Wittolshouer.
 D. ENGELSCALCVS de Haldenberg.
 WIRNT de Adelungeshouen.
 HEINRICVS de Seckfenhausen.
 D. DIETRICVS de Pfluegdorf.
 D. HEINRICVS de Pfetten.
 D. CONRADVS de Duringenueld.
 Item H. TAININGER.
 Item VERTINGVS de Schmiechen.
 Item BERCHTOLDVS de Fuezstain.

ADDITIONES.

HOC tempore insurrexerunt bella Principum Meraniæ aduocatorum nostrorum contra
 Duces Bauariæ, ex quibus intolerabilia & grauissima damna monasterio nostro ob-
 uenerunt: nempe victualium penuria & exactiones infestationeque Principū ac suorum mi-
 nisterialium continue: prædialia multa obligata, debita quoque contracta sunt. Sic itaque
 Bernardus Abbas doloribus & languoribus diu corrosus, & tandem extenuatus cum jam
 rexisset annis decem spiritum Deo reddidit, anno Dominico 1246. Cui successit Henricus
 secundus, qui fuit de familia S. Benedicti, proxima die post festum S. Valtrici cano-
 nicè & idoneè electus in Abbatem. Ante cuius accessum plus quam viginti sex
 annis bellum grauissimum inter Ottonem, Ducem Meraniæ, felicis memoria (qui fu-
 it Aduocatus noster) & Ottonem, Ducem Bauariæ gerebatur, in quo penè omnes no-
 stra possessiones & prædialia quotidianis rapinis & incendiis ita sunt vastata, quod adifi-
 ciis carebant & inculta jacebant, & coloni cum aliis hominibus in fugam versi erant.
 Interea isto periculo imminente & sciente, antedictus Dux Bauariæ misit ad locum
 nostrum plus quam quingentos viros in armis, qui monasterium nostrum & sororum,
 & omnes Ecclesias & officinas violenter fregerunt, & omnia qua moueri, portari, pelli
 & vehi poterant abduxerunt, fratres & sorores eiulantes & penè nudos reliquerunt: &
 ne monasterium & ambitum loci comburerent pecuniam copiosam illis dederunt. Hac
 verò persecutione aliquantulum sedata secundo anno ordinationis sue, statim post Purifi-
 cationis S. Mariæ festum, ex instinctu Diaboli omnium bonorum inuidi crudelis ignis erupit,
 & totum Monasterium funditus exussit, vnde muri Monasterij, principale altare S. Benedi-
 cti, & cripta S. Martini in terram corruerunt, & magna pars murorum est euersa: omnes
 pariter campana, & omnia vitra disfluxerunt, sculptura, pictura pretiosa, pariter omnia
 sunt deleta. Magna pars librorum purpura, tapetia & ornatus desiderabilis est exustus, ma-
 ior turris longe ante fuit detecta, minor à fulmine scissa. Ecclesia S. Laurentij præ vetu-
 state

state & putredine qua tecto diu carebat penitus fuit delapsa, dormitorium sororum & totum claustrum earum defecerat, hospitium desolatum per multos annos jacebat, unde hospites assidue superuenientes officinas nostras & villas adhaerentes vastabant, granarium putruerat, pistrium & molendinum corruerant, ergasterium viluerat, in coquina nulla penitus olla utilis fuit.

Fundatio Monasterij Benedict Beurn.

ANNO verbi Dei ex virgine geniti Septingentesimo quadragelimo, Indictione octaua, sub Zacharia Papa, Rege Carolo patre Carolomanni & Pipini, quo tempore S. Bonifacius Moguntinens. Archiepiscopus in Francia, Frisia, Austrasia, Bavaria eodem Christi seminabat, cum jam Ecclesiae vel Monasteria his in terris consurgerent, locus iste à solitudine in via, & condensa ferarum cauea, diuino nutu & adminiculo est habitabilis effectus. Cuius conditores & cultores primi fuerunt tres fratres, viri clarissimi, *Landfridus, Waldramus, Etilandus*, tam virtutum quam diuitiarum incliti primates regni, & praedicti regis consobrini. Qui cum dererit suarum abundantia pauperum peregrinantium maximeq; spiritualium studerent inopiam supplere, magnaq; cura esse essent laborare circa Ecclesias & Sacerdotes Christi, & nisi statim à se adiuuarentur, se vitote religiosissimi peccasse putarent, praefati artificis circum quaq; praedicantis crebra visitatione sunt plenius instructi, jamq; tanti patris notitiam venerantes, & amicitiam operibus declarantes, ad perfectionem Euangelicam, quae sola supererat, omnia relinquendi & crucifixum sequendi, peringere sunt conati. Itaq; cum circa fluum *Leusach* habentes praedia, & in pago *Antorff* eiusq; confinio pulcherrima domicilia nationibus adiacentis nemoris pro consuetudine aliquando exercebantur, cuncta perlustrantes inter frondosae vmbraçula syluae, ad sempiterna paradisi vireta suspirabant, & quia jam dudum seculi naufragium euadere statuerant, placuit eis ad conceptum negotium, conuersionisq; diuersorium perspectae terrae situs & amantitas, iusseruntq; statim extirpatis fructibus prope riuum *Kolomonbach* habitationem sibi adiuncta basilica construi. Quem quia sibi Dominus non elegit, signorum indicio declarauit, fabris lignariis namq; repentina incisione vulneratis, columbae aduolantes ornaetata ligni praefegminaraptim asportauere, & huic loco, in quo nunc venerandum altare consistit, sparsim inferentes, quasi ex rationali industria circulos composuerunt, stupefacti & prosecuti cum feris Domini, caelestis auspicii omen intelligunt, quae alibi cogitauerant hic perficiunt Ecclesiam Caenobiumq; operosissime aedificantes inemporabiliter structuris, picturis & pretiosis perornauere metallorum ac thesaurorum insignibus. Is quidem locus prius nominabatur *Prüel*, sicut & haecenus pratum prope monasterium vocatur: ibiq; erat bannus bestiarum praedictorum Dominorum. His viriditer peractis Ecclesia tegulis plumbeis tecta, viaq; peracta euntibus supra paludem praefati fluij *Leusach*, pontem erigere iusserunt, nihilque nisi benedictio Pontificis restabat. Deinde & alia grandi diligentia monasteria instituunt: primum *Cochelense* in quo venerabilis eorum sorox nomine *Gailsündis* praedij sui parte tradita cum virginali debebat contubernio. Secundum *Schlehdorfense*. Tertium *Stafelense*, quibus duobus e praefatis fratribus *Waldramus* scilicet & *Etilandus* portiones de redditibus suae sortis quae sufficerent, singuli singulis condonauerunt. Congregatisq; vndiq; monachorum agminibus, nec non sanctorum reliquiis, librorum diuinarum multitudine, eum consensu, *Thasilonis* Ducis ac prouincialium Episcoporum consilio, maximeq; *Augustensis Bictorpi* valde venerandi viri in *Francia* profecti conductu & annisu *B. Bonifacii Moguntini* archipraesulis, à piissimis Regibus *Carolomanno* atq; *Pipino* irrefragabilia perpetuae libertatis priui-

priuilegia *Burenſi* Eccleſiæ acquiſerunt: quam etiam ab eodem tantæ auctori-
tatis & ſanctitatis metropolitano dedicari, regalique edicto publicè honorifica-
ri iſdem Principes petentes perceperunt. Mox conuenientibus illuſtribus, & Ca-
tholicæ excellentiæ perſonis, à ſupra memorato Pontifice & *Biſterpo* reueren-
diſſimo Auguſtineſe Epifcopo vndecimo Calendarum Nouembrium die in no-
mine Sanctæ Trinitatis, in honore S. *Benedicti* & B. *Iacobi*, nec non ad plurimo-
rum ſanctorum memoriam, quorum & plurimas congregauerunt reliquias, hæc
Eccleſia dedicata eſt: & præter cæteras cœnobialis cautelæ aptitudines, ab in-
troitu mulierum inuiolabili ſanctione alienata, ſtatimq; magnificis oblationi-
bus ac prædiis dotata & ditata.

Inueſtitura Abbatis ORTOLFI.

R*odolphus* Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus. Vniuerſis mini-
ſterialibus hominibus & vaſallis Monasterij *Beyrn*, gratiam ſuam & omne
bonum. Benignitatem decet regiam ſubditorum Sacri Imperij fidelium
maximè maximorum commodis intendere, & ipſorum quieti ſerena mente
conſulere: vt allecti beneficiis & beneficentiæ gratiis incompenſa deuotæ fide-
litate Sacro Imperio fortiori deuotionis, fidei & dilectionis vinculo cõiungan-
tur. Quod adtendens noſtra Serenitas, venerabilem *Ortholſum Burenſem* Ab-
batem Principem noſtrum dilectum, ſe noſtræ Maiestatis conſpectibus præſen-
tantem ſumus benignitate Regia fauorabiliter proſecuti, collatis ſibi regali ſce-
pro regalibus, ac eodem de adminiſtratione temporalium legitime inueſtito.
Quapropter vniuerſis ac ſingulis vobis mandamus, præcipientes auctoritate
regia firmiter & diſtictè, quatinus eidem Abbati Principi noſtro dilecto deuotæ
fidelitatis obſequia impendatis, & eidem tanquam vero veſtro Abbati in omni-
bus intendatis fideliter & deuotè. Datum apud *Auguſtam* XV. Calend. Iulij,
Indict. tertia, Anno Dñi. MCCLXXV. regni vero noſtri ſecundo.

Inueſtitura Abbatis HENRICI.

R*odolphus* Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, vniuerſis ſacri Ro-
mani Imperij fidelibus præſentes literas inſpecturis gratiam ſuam & omne
bonum. Quia tribulationibus preſſuris & anguſtiis venerabilis *Henrici* Ab-
batis & ſui Monasterij S. *Benedicti in Beyrn*, ex innata noſtris præcordiis pietate,
ex animo condolemus, ſuis commoditatibus intendere volentes, & cum ſpe-
ciali gratia præuenire. Propterea ad vniuerſitatis veſtræ notitiam cupimus per-
uenire, quod nos ad preces & instantiam Illuſtris Ducisſæ *Bauariæ* filia noſtræ
cariffimæ, regalia feuda principatus quem obtinet, eidem Abbati liberaliter du-
ximus transmittenda: volentes in hoc ſuis parcere laboribus & expenſis. Vnde
vniuerſis miniſterialibus & Vaſallis ſupradicti Monasterij damus firmiter in
mandatis, vt memorato Abbati tanquam noſtro Principi & ſuo Domino in
omnibus intendant humiliter, & pareant reuerenter. In cuius rei teſtimonium
præſens ſcriptum exinde conſcribi, & Maiestatis noſtræ ſigillo juſſimus com-
muniri. Datum *Auguſta* ſeptimo Cal. Februar. Indictione quarta decima, An-
no 1286. Regni vero noſtri decimo tertio.

In nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. *Henricus* diuina fauente clemen-
tia Rex, Deo ſeruire, regnare eſt. Cum ergo propitia diuinitate regni guber-
nacula teneamus, juxta regiam magnificentiam volumus omnes ſub pace Sere-
nitatis

nitatis nostræ gaudere, sed maxime quos specialiter nominamus ad munimen regalis defensionis attingere. Nouerit ergo vniuersus Ecclesiæ Catholicæ cœtus, quod quædam Abbatiam *Beyrn* dictam, à primis fundatoribus, & à prædecessoribus nostris & à nobis liberalitate & omni ingenuitate nobilitatâ, in nostrâ protectione ac tutelam suscepimus, & quæcunq; nunc in loco sunt, vel in futurum qualibuscunq; vsibus profutura, iustè & legitime acquiri possunt Gotthelmo Abbati & eius successoribus illibata conseruari decreuimus. Idem siquidè Monasterium antiquitus liberalitate Regum, largitate Principû magnificè ditatû, nunc variis euentuum casibus quasi despoliatum remansit, eò quod ad regnum omnia primæ foundationis prædia præter ipsum determinalem locum translata sint. Eius igitur desolationi condolentes, tum consilio principum nostrorû *Bertoldi, Friderici, & Vdalrici*, tum rogatu *Welfonis* Ducis, tum fratrum inibi commorantium iustis petitionibus annuentes *Tuzzingen, Zeizmaringen, Karershusen* cû suis appendiciis, cum famulis & famulabus, & cum pratis de *Seshopten* juxta ripam fluminis *Wirmine*, vsq; *Dietpurce*, eidem Monasterio Imperiali Maiestate restituumus, & Abbati ea loca possidendi, vendendi, vel ad quoslibet vsus inflectendi liberam facultatè pro debito nostro concedimus. Ne ergo quælibet persona per aliquam surreptionem temere venire præsumat contra hanc nostram cõstitutionem, præsentem paginam sigilli nostri impressione roboramus, & libertatè quam loco illi piè indulgimus, & redditus quos redonauimus omni æuo irrefragabiliter B. Benedicto sibiq; seruientibus stabilimus, &c.

IN nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. *Henricus* diuina fauente clementiâ Rex. Omne quod scribitur testamentum gestarum rerum continet fidem, notitiam, memoriam, & firmamentum. Qua ratione & per hoc scriptum notum sit omnib; in Christo uiuentibus, tam futuris quam præsentibus, qualiter nos Ecclesiam nomine *Beyrn* quam à nostra manu & regia potestate dimissam & alienatam sua libertate destitueramus, qualiter hanc dum respiscendo nobis inde cõsultum uoluimus, tum quoq; ob salutem animæ & peccatorum remedia beatæ memoriæ Patris nostri *Henrici* ac matris nostræ *Agnetiæ*, & ob salutem duorum fidelium nostrorum, pro quibus ibi specialiter continuis intercedendum orationibus in æternum uoluimus, in eam quam ab institutione sua sumpsit libertatè restituumus & immutabiliter in perpetuum destinauimus, quatinus deinceps ea utatur ita, ut in regia tutela & defensione contineatur. Cuius libertatis restitutio ut stabilis & inconuulsa omni permaneat æuo, hanc chartam inde iussimus scribi, ac propria manu corroboratam nostro sigillo insigniri.

Signum Domini *Henrici* quarti regis inuictissimi.
Gebehardus vice Cancellarius recognoui.

Data Anno Dominicæ incarnationis M.LXXVIII. Indictione prima, Anno autem *Henrici* quarti Regis inuictissimi, Ordinationis XXIII. Regni XXII.

CATALOGVS ABBATVM MONASTERII Benedictpeurn.

Post fundatores gubernauit Monasterium RINGRINVS, qui obiit regiminis sui anno 8. Domini uero 858.

ZACCO, moritur an. Dn. 865. Pralatura sua quinto.

ERPFMANNNO, præfuit an 36. ob. an. Dn. 899.

VROLFVS, desit regere & uinere anno officij sui 18. Domini uero 918.

SNELBERTVS, ob. An. Dn. 945. Pralatura sua 28.

Metrop. Salzb. Tom. II.

N

V. stato

- Vastato per Hungaros circa hoc tempus Monasterio, duo fratres presbyteri, ne in solitudinem redigeretur locus, per nouennium Anachoretarum instar ipsum incoluere.
- WOLTOLDVS instaurator & nouus fundator per duodecim annos prepositum egit per septennium deinde Monachus vitâ decessit, anno 974.
- RICHOLPHVS finijt vitam Pralaturæ suæ 20. anno Dom. 987.
- REGINBERTVS decimo Prapositura anno viuere desijt an. Dom. 997.
- RATOLDVS duodecimo anno in pace quieuit, an. 1009.
- TAGINO.
- ALBERO nouem an. exactis ob. 1019.
- REGINBERTVS vltimus Prapositus, anno vndecimo per spontaneam resignationem Conrado II. Imp. factam, & finem Canonicis, & initium Monachis fecit, ipse postea sub regulari norma 15. annis exactis ob. 1045.
- ELLINGERVS accersitus ex Tegernsee reformator annuus fuit, & reuersus est.
- GOTHELMVS Monasterium rexit an. 3. ob. an. Dn. 1076.
- MEGINOSVS per biennium presuit.
- RATMVNDVS pres. annis 26.
- CONRADVS de Campidonen. canobio per Tridentinum Episcop. accitus, obiit an. 1122.
- HOPERTVS vix annuus moritur, an. 1123.
- OLSCALCVS decessit, an. 1126.
- ENGELSCALCVS pres. an. 13 ob. an. 1138.
- GVALTHERO an. regim. 30. vitam finiuit, Domini 1168.
- ORTHOLFVS pres. an. 12. ob. 1189.
- WERNHERVS post tres an. decessit 1183.
- ALBERTVS I. gubernauit an. 20 ob. an. 1203.
- BERNARDVS an. Pralaturæ 10. ob. Dn. 1213.
- HENRICVS cum presuisset an. 14. moritur an. 1227.
- GEBHARDVS an. 9. presidens. ob. an. 1236.
- BERNARDVS II. decimo commissi muneris ob. an. Dn. 1246. (combustum.)
- HENRICVS II. per an. 25. multi a passus vitâ excessit an. 1271. sub hoc Monasterium fuit
- ORTHOLFVS II. cum bene presuisset an. 14. ob. an. 1284.
- HENRICVS III. quinto regiminis, Dni. an. 1289. decessit.
- OTHO combustum monasterij instaurator ob. an. reg. 29. Christi 1318.
- HENRICVS IV. post Pralaturæ 30. ob. 1348. Christi anno.
- DVRINGO gestâ pralaturæ an. 17. vitâ s'fingitur an. 1361.
- ALBERTVS II. anno muneris sui 8. Christi 1369. moritur.
- HENRICVS V. officio s'fingitur an. 9. ob. 1378.
- HENRICVS VI. Pienz enauer satis concedit an. 1400. Pralat. 22.
- LVDOVICVS I. presidens an. 9. moritur an. Dn. 1409.
- FRIDERICVS decessit an. Dn. 1422. regim. sui 13.
- CONRADVS resign. an. regim. 7. nec diu superuixit.
- GREGORIVS resign. similiter. pralat. an. 10. Dni. 1439.
- THOMAS Schbalb annuus fuit in regimine.
- GVLIELMVS Diepoltz. Kûrcher è Tegernsee accers. ob. an. 1383. reg. 43.
- NARCISVS clauum tenuit an. 21. moritur an. 1504.
- BALTHASAR cessit officio an. 17. vixit priuatim an. 3.
- P. MATTHIAS administrator è monasterio Tegernse vocatus, mox Abbas, moritur regiminis sui 17. anno Dn. 1538.
- CASPAR pres. an. 10. ob. an. Dn. 1548.
- LVDOVICVS II. ob. an. 1570.
- IOANNES BENEDICTVS cum gubernacula tenuisset an. 34. è vitâ migravit an. 1604.
- IOANNES modernus Abbas.